

8172.

1370 augusti 15.

Montefiascone.

Påven Urban V utser Henrik Karlsson till innehavare av kanonikat och prebende i Uppsala domkyrka som blivit lediga genom påvens tidigare utnämning av Henrik (Biscop) till biskop i Slesvig (se DS nr 8056 ovan). Prebendets avkastning taxeras till högst 16 mark silver.

Påven befaller även exekutorerna, biskopen i Växjö samt kanikerna i Linköping Gunne Ingesson och Lars Petersson, att insätta Henrik eller dennes ombud som innehavare av kanonikat, prebende, rättigheter och övrigt som tillkommer honom, samt att försvara honom när han insatts; de skall se till att han eller hans ombud mottas i nämnda kyrka till nämnda prebende, som kanik och broder, att en korstol och plats i domkapitlet samt vederbörliga inkomster tilldelas honom.

Reg. Auin. 169, fol. 50r, Vatikanarkivet.

Tryckt: (ett kort utdrag) APS Cam. nr 740.

Om den påligha nuntien Henrik Biscop se Y. Brilioth, Den påligha beskattningen af Sverige (1915), s. 273 och 378; om kaniken Henrik Karlsson, sedermera ärkebiskop, se dens., Svensk kyrka, kungadöme och påvemakt (1925), s. 136; om det här aktuella tionde kanonikatet (Tierp) se G. Dahlbäck, Uppsala domkyrkas godsinnehav (1977), s. 89 f.

Delvis samma formulär använt i brev 1366 6/10 (DS nr 7432).

Urbanus episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Henrico Karoli canonico Vpsalensi salutem etc. Vite ac morum honestas ac alia probitatis et v[i]rtutum^a merita, super quibus apud nos fidei dignorum comendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad graciam liberales. Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica nunc apud sedem apostolicam vacancia et imposterum vacatura collacioni et dispositioni^b nostre duximus reseruanda decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis^{c-a} quoquam^c quauis auctoritate scienter uel ignoranter contigerit attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie Vpsalensis, quos venerabilis frater noster Henricus episcopus Slesuicensis tempore promocionis per nos facte de ipso ad Sle[s]ui[c]ensem^d ecclesiam tunc pastore parentem obtinebat, per huius promocionem et munus consecrationis de mandato nostro apud dictam sedem impensum eidem apud ipsam vacauerint et vacare noscantur ad presens nullusque preter nos hac vice de ipsis canonicatu et prebenda disponere potuerit neque possit reseruacione et decreto obstantibus supradictis, nos volentes tibi in presbiteratus ordine constituto, qui, ut asseris, nullum beneficium^e ecclesiasticum obtines ac juris canonici studio insistere proponis, premissorum meritorum tuorum intuitu graciam facere specialem, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus redditus et prouentus sexdecim marcharum argenti secundum taxacionem decime valorem annum ut asseritur non excedunt, sic vacantes cum plenitudine juris canonici ac omnibus iuribus et pertinenciis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam prouidemus decernentes irritum et inane, si secu[s]^f super hiis a quoquam quauis auctoritate scienter uel ignoranter attemptatum forsan est hacthenus^g uel contigerit imposterum attemptari non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie contrariis juramento, confirmatione apostolica uel quauis firmitate alia roboratis, aut si aliqui apostolica uel alia quauis auctoritate in eadem ecclesia in canonicatus sint recepti uel ut recipiantur incistant^h, seu si super prouisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis in eadem ecclesia speciales uel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis uel ligatorumⁱ eius litteras impetrarint, eciam si per eas ad inhibicionem reseruacionem et decretum uel alias quomodolibet sit processum / quibus omnibus in assecucione canonicatus et prebende predictorum te volumus anteferri sed nullum per hoc eis quo ad assecucionem canonicatum et prebendarum ac beneficiorum aliorum preiudicium generari, seu si venerabili fratri tuo episcopo et dilectis filiis, capitulo Vpsalensi, uel quibuscumque aliis communiter uel diuisim a prefata sit sede indultum, quod ad receptionem uel prouisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli non possunt,

quodque de canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie uel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collacionem, prouisionem, presentacionem seu quamuis aliam dispositionem coniunctim uel separatim spectantibus nulli valeat prouideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali uel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam uel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gracie impediri valeat quomodolibet uel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mencio specialis, aut si presens non fueris ad prestandum de obseruandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie solitum iuramentum / dummodo ^jin absencia^j tua per procuratorem ydoneum et cum ad ecclesiam ipsam accesseris corporaliter illud prestes. Nulli ergo etc. Nostre collacionis, prouisionis, constitucionis et voluntatis jnfringere. Datum apud Montemflasconem xvij Kalendas Septembbris, anno octauo^k.

In eodem modo · venerabili fratri episcopo Wexionensi et dilectis filiis Ginnonj Jngonis ac Laurencio Petri canonis ecclesie Lincopensi salutem etc. Vite ac morum etc. vsque ad illud prestat. Quocirca discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos uel duo aut vnum vestrum per vos uel per alium seu alios eundem Henricum Karoli uel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem canonicatus et prebende ac jurium et pertinenciarum predictorum inducatis auctoritate nostra et deffendatis inductum amoto exinde quolibet detentore facientes ipsum Henricum uel dictum procuratorem pro eo ad eandem prebendam in dicta ecclesia in canonicum recipi et in fratrem stallo sibi in choro et loco in capitulo ipsius ecclesie cum dicti juris plenitudine assignatis sibique de ipsorum canonicatus et prebende fructibus redditibus prouentibus juribus et obuencionibus vniuersis integre responderj non obstantibus omnibus supradictis, aut si eisdem episcopo Vpsalensi et capitulo uel quibusuis aliis communiter uel diuisim a prefata sit sede indultum, quod interdici, suspendj uel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Contradictores auctoritate nostra etc. Datum ut supra.

^a vrtutum ms. ^b Härefter överstruket vestre ms. ^{c-c} Hopskrivet ms. ^d sleuen- ms. ^e Så ms. ^f secuc eller secut ms. ^g Så ms. ^h D. v. s. insistant. ⁱ D. v. s. legatorum. ^{j-j} Hopskrivet ms. ^k Före detta ord överstruket primo ms.